

et Regul. in Sulmon., 17. Aprilis 1604, nisi propter penuriam presbyterorum sæcularium; modo regularis sit ætate simul, ac moribus gravis, et habeat consensum suorum superiorum, nec tractet cum Monialibus, prout resolvit eadem Sacra Congregatio Episcop. et Regular. in Parmen., 14 Julii 1607. (7. Capellani Monialium debent esse amovibiles, non autem perpetui, seu inlitolati. Sacra Congreg. Episcop. in Brixien., 18 Julii 1692. (8. Quando tamen Moniales sunt in quasi possessione præsentandi eorum Capellanum ad vitam, Episcopus non debet innovare, sed suorum jurium monumenta ad Sac. Cong. mittere. Sac. Congreg. Episc. in Liciensi, 21 Oct. 1577.

(9. Capellanus in Ecclesiis Monialium regularibus subjectarum approbatur a superiore regulari. Sac. Congreg. Conc. in Hieracensi Visitationis, 26 Januarii 1692, in respons. ad nonum; et tenet Monacell. tom. I, tit. 11, formul. 23, num. 4. (10. Cæteri vero presbyteri sæculares, qui advocantur pro celebratione Missarum in Ecclesiis Monialium, possunt ab Episcopo prohiberi, ne accedant, quamvis Moniales exemptæ sint, aut Regularibus subjiciantur, quia talis accessus pertinet ad custodiam clausuræ, super qua Episcopus invigilat, et jurisdictionem indiscriminatim exercet, ut respondit Sac. Congreg. Conc. in dicta Hieracensi in resp. ad septimum. (11. Capellanus Monialium potest Missam celebrare de sancto cujus officium ab ipsis Monialibus celebratur in choro, Missali tamen Romano (1), in quo si Missa particularis de eodem sancto non adest, sumitur de communi. Sacra Rituum Congregatio in Austriæ Oeniponti, 22 Decemb. 1612, et eadem Sacra Cong. Rituum 20 Novembr. 1628, apud Nicol. lucubrat. Canon. lib. III, tit. 1, de Vit. et honestate Clericor., et Gavant. in *Manuali Episcopor.*, verb. *Monialium cura spiritalis*, num. 33. (12. Idem dicendum est quoad recitationem officii (2); vide verb. *Officium divinum*, art. 3, num. 78. (13. Ca-

CAPELLANUS MILITUM.

SUMMARIUM.

1. Capellani Militum, seu missionarii exercitus, vel castrenses in casibus, in quibus non adsit breve apostolicum aliter disponens, debent approbari ab ordinario loci, non autem a Capellano Majori Regio. Imo dato, quod adsit breve apostolicum, est bene, et caute perpendendum, an fuerit personale concessum alicui Regi, vel limitatum pro aliquo regno. — 2. Sacra Congreg. Episcop. pluries decrevit, quod Capellani Militum sint approbandi ab ordinario loci, et non a Majori Capellano Regio. — 3. Alioquin confessiones et matrimonia nulla erunt. — 4. Quæ Sac. Congreg. etiam declaravit, hujusmodi Capel-

(1) Die festo S. Benedicti, et diebus infra ejus octavam alias non impeditis, omnes sacerdotes tam sæculares quam regulares ad Ecclesias ord. ejusdem Sancti confluentes debent celebrare Missam propriam S. Benedicti cum Missali Monastico ex privilegio Benedicti XIII, 10. Febr. 1727, et decret. S. R. C. in Patavina, 21 Martii 1744. (Edit. CASIN.)

pellanus Monialium non debet alium presbyterum substituere sine licentia Episcopi, sive Vicarii Generalis, in casu impedimenti. Monacell. tom. I, tit. 11, formul. 22, num. 7. (14. Capellanus sæcularis de licentia confessoris Monialium potest Eucharistiæ Sacramentum ministrare; sicut enim cum licentia sacristæ potest in monasteriis mendicantium simplex sacerdos sæcularis dictum Sacramentum administrare, id ipsum poterit in Ecclesiis Monialium de licentia confessoris earumdem, stante communicatione privilegiorum. Tamburin. *de Jure Abbatissar.* disput. 15, q. 3, num. 2. (15. Capellani Ecclesiarum exemptarum amoveri non debent ab Episcopo sine causa. Sac. Congreg. Episcop. et Regul., 25 Octobr. 1602. (16. Imo generaliter nullus Capellanus, licet amovibilis, amoveri debet sine causa. Ead. Sac. Congreg. in Sulmon., 14 Maii 1645, et 16 Maii 1653

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(17. Capellanus Monialium exemptarum, excluso parcho, omnia Sacramenta etiam in articulo mortis ipsis administrat, ita ut loco parochi habeatur. Tamburin. *de Jure Abbatissar.* disput. 36, quæsit. 4, per tot. Pellizzar. *de Monial.* c. 7, quæsit. 8, n. 15.

(18. Num idem obtineat quoad Moniales non exemptas? Tenet Tamburin. *loco mox citato*, quod Episcopus Monialibus sibi subjectis soleat etiam destinare Capellanum, qui vice parochi fungatur. (19. Verum non aliter admittenda est hæc Tamburini opinio, quam si consuetudo, eaque jam præscripta, Episcopo adstipuletur. (20. Seclusa namque consuetudine, non est cur Episcopus in præjudicium parochi possit destinare hunc Capellanum, qui parochi vice fungatur. (21. Moniales enim non exemptæ de jure communi sunt parochis subjectæ, ut non diffiltetur ipse Tamburinus, et tradunt Abb. in c. *Dilectus*, n. 17, de *Stat. Monach.*; Azor. *Instit. Moral.*, part. 1, lib. XIII, cap. 9, quæsit. 4; Pellizzar. ubi supra.

lanos non habere jurisdictionem in clericos. — 5. Regii Capellani majores non possunt prætere, ut omnes Capellani vulgo nuncupati *delli presidj e fortezze* sint exempti a jurisdictione Episcoporum diocesanorum, et subjecti suæ jurisdictioni. — 6. Regii Capellani Majores ex brevi Clementis VIII concessio Regi Philippo habent solummodo executiones spectantes ad personas, non ad loca: nec in dicto brevi legitur, quod ipsi possint eligere personas ad audiendas confessiones, et alia Sacramenta administranda, nisi ex approbatione ab ordinario. — 7. Adducuntur variae responsiones Sac. Congr. Concil. ad dubia ei proposita occasione cujusdam brevis apostolici

(2) Quod hic asserit auctor, corrigendum est ex decret. S. R. C. in Conimbrien., 21 Martii 1795, in quo Monialibus ord. S. Francisci postulantiibus: an Capellani, qui in earum Ecclesia quotidie Missam celebrant, possint officium Monialium recitare? S. C. respondit *Negative*. Vide etiam notam ad artic. III, num. 78, verb. *Officium divinum*. (EDIT. CASIN.)

apostolici concessi Archiepiscopo Mechlinskiensi pro exercitu in Flandria. — 8. Adducitur resolutio ejusdem Sac. Congr. Concil. in responsione ad dubium ei propositum in una Mediolanensi pro matrimonio contracto a milite in statione degente coram Capellano sui tertii. — 9. Adducitur alia resolutio ejusdem Sac. Congr. Conc. in una Dertonensi pro quodam matrimonio celebrato coram Capellano Militiæ equestris in terra Vogheræ. — 10. Afferuntur variae resolutiones Sac. Congreg. Concil. in dubio jurisdictionis Capellanorum exercitus occasione Militum a variis Germaniæ partibus in Italiam irruptentium. — 11. Afferuntur variae aliae resolutiones ejusdem Sacre Congregationis Concilii in una Casalensi, quoad potestatem Capellani Militum circa assistentiam præstandam matrimoniis contrahendis in eorum regiminibus existentibus. — 12. Matrimonia contracta coram Capellanis exercitus a militibus

(1. Capellani militum, seu missionarii exercitus, vel castrenses in casibus, in quibus non adsit breve apostolicum aliter disponens, debent approbari ab ordinario loci, non autem a Capellano Majori Regio. Imo dato quod adsit breve apostolicum, est bene et caute perpendendum, an fuerit personale concessum alicui Regi, vel limitatum pro aliquo regno, quia nequit extendi; prout si in brevi fiat mentio de militibus in præsidio non extenditur ad milites in bello, et e contra, cum in hujusmodi materia sit stricta facienda interpretatio, et de facto proposito dubio in Sacra Congregatione in Mazarien. facultatis approbandi confessarios: « An approbatio confessariorum pro sacramentalibus militum confessionibus audiendis pertineat ad Capellanum Regium, vel ad ordinarium loci? » Die 22 Mart. 1687, respondit, *pertinere ad ordinarium loci*, quia breve, quod aderat respectu Regis Catholici, videbatur ex variis circumstantiis non extendi ad regna extra Hispanias. (2. Unde Sacra Congregatio Episcop. jam pluries declaraverat, quod Capellani militum essent approbandi ab ordinario loci, et non a Majori Capellano Regio; in Tarentina enim, 3 April. 1618, et in Neapolitana, 4 Augusti ejusdem anni respondit, quod Capellanus Regius Major Neapolis concedere non audeat licentiam ministrandi Sacramenta sine licentia ordinarii. (3. Alioquin confessiones et matrimonia nulla erunt, et ipsis non concedetur amplius semestris prorogatio suarum facultatum, ut resolvit eadem Sac. Congregat. in Brundusina, 5 Septemb. 1607, in Gravinensi, 2 mai 1615, in Salernitana, 16 Febr. 1619, in Neapolitana, 11 Aprilis 1620. (4. Quæ etiam declaravit, hujusmodi Capellanos non habere jurisdictionem in clericos; ut in Lucerina, 15 Febr. 1622. (5. Regii Capellani Majores non possunt prætere, ut omnes Capellani vulgo nuncupati, *delli presidj, e fortezze*, sint exempti a jurisdictione Episcoporum diocesanorum, et subjecti suæ jurisdictioni, adeo ut hujusmodi Capellanis a quocumque ordinario ad confessiones approbatis, demandare valeant omnium Sacramentorum administrationem absque alia approbatione, seu licentia Episcoporum diocesanorum. Quare ordinarii uti debent jure suo. Sacra Congregat. Concil. 18 Novembr. 1644; in

FERRAR. II

degentibus in castris, et stationibus hibernis, vel æstivis, aut in expeditione, etiam cum militaribus feminis sine licentia ordinarii loci, vel sine speciali facultate Sedis Apostolicæ, nulla sunt. — 15. Matrimonium contractum a viro catholico cum muliere pariter catholica coram ministro acatholico est nullum. — 14. Ad uberem notitiam consilium Capellanorum juvat adducere novissimam resolutionem ejusdem Sacre Congr. Conc. circa Capellanos trimonium Summi Pontificis. — 15. Indulta apostolica concessa Regi Catholico a Clemente XII. — 16. Quæ confirmantur a Benedicto XIV pro regno Sardinie. — 17. De variis nominibus Magni Capellani Regum, tum ejus variis diversis temporibus juribus. *Remissive*. — 18. Facultates concessæ Capellanis castrensibus penes Cæs. Reg. Austriacam militiam. — 19. Privilegia Capellani Majoris Regni utriusque Siciliæ concessa a Benedicto XIV.

Brundusina ad c. 11; sess. 24, *de Reform.* (6. Regii Capellani Majores ex brevi Clementis VIII, concessio Philippo Regi habent solummodo exemptiones spectantes ad personas, non ad loca, nec in dicto brevi legitur, quod ipsi possint eligere personas ad audiendas confessiones, et alia Sacramenta administranda, nisi ex approbatione ab ordinario. Sac. Congreg. Immunitatis in una Massæ pro Ecclesia portus Longonis, 13 Novembris 1668.

(7. Occasione cujusdam brevis apostolici concessi Archiepiscopo Mechlinskiensi pro exercitu in Flandria Sac. Congreg. Concil. in una Belgii Matrimoniorum, die 29 Maii 1683, ad infrascripta dubia sic respondit:

Primo: « An vigore præfatæ delegationis apostolicæ, ipse delegatus apostolicus uti talis, ejusque Vicarius, et Capellani exercitus facultatem habeant assistendi matrimoniis militum, dum hi reperiuntur in actuali expeditione? » respondit *affirmative*.

Secundo: « An dictam facultatem habeant privative quoad contrahentium parochos? » respondit *negative*.

Tertio: « An eandem facultatem habeant, dum milites matrimonium contracturi in hibernis, vel æstivis castris commorantur? » respondit *negative*.

Quarto: « An eandem facultatem habeant, dum milites sunt in præsidii? » respondit *negative*.

(8. In Mediolanensi matrimonii proposito dubio in Sacra Congr. Concil. An sit validum matrimonium contractum a milite in statione degente coram Capellano sui tertii? die 11 Decembris 1677 Sac. Congr. Conc. respondit: « Matrimonia militum contrahenda coram Capellanis exercituum quocumque loco existentium fore nulla, nisi doceant de sufficienti facultate, vel privilegio; et quoad matrimonia contracta particulariter videatur; et hoc scribatur Eminentissimo Archiepiscopo Mediolanensi, qui aliis Episcopis prudenter communicet. »

(9. In Derthonen. die 22 Aprilis 1693. Episcopus Derthonæ suis litteris datis 6 currentis scribit, quod frater Joannes Giuzolo ord. min. conventualium Capellanus Militiæ equestris celebravit matrimonium inter Franciscum Tasolier Germanum militem, et Felicem Terram Mediolanen. in statione Terræ



Vogheræ existentes, absque denuntiationibus, et probationibus eorum liberi status; consulit quid facere debeat, tam in præsentibus, quam in futuris temporibus? *Decretum*: « Dicto Episcopo rescribendum, ut prædictos Franciscum, et Felicem de nullitate eorum matrimonii certiorer, et ideo separari tenentur, alias in peccato existunt, donec illud eorum parochi loci ser. de novo contrahant; necnon dictum Capellanum moneat, quod ipse juxta resolutiones Sac. Congregat. Concilii, et S. Officii, quando milites sunt in statione, facultatem celebrandi matrimonia non habet, et ideo in futurum a similibus se absteat. Et super hoc se intelligat cum D. Duce del Sesto, ut mandet d. Capellano, ut ordinibus Sac. Congr. pareat. »

(10. In dubio jurisdictionis Capellanorum exercitus, occasione militum a variis Germaniæ partibus in Italiam irrumpentium, remissa cognitione a Sacra Congregatione Sancti Officii ad Sacram Congregationem Conc. ab ista fuerunt proposita, et resoluta infrascripta dubia :

Primo: « An Capellani cujusvis exercitus, sive regulares, sive sæculares catholici possint administrare militibus in præsiidiis degentibus Sacramenta Pœnitentiæ, Euchari- stia, et Extremæ Uctionis sine speciali facultate Sedis Apostolicæ, vel licentia, et approbatione ordinarii, in cujus diœcesi exstare contigerit? »

Secundo: « An assistere matrimoniis militum cujuscumque nationis degentium in præsiidiis cum militaribus fœminis sine dicta facultate Apostolica, et præcedenti probatione status liberi, ejusque recognitione eorum ordinario loci, et licentia parochi, sub cujus parochia maneant? »

Tertio: « An idem cum militibus degentibus in castris, et stationibus hibernis, vel æstivis? »

Quarto: « An idem cum militibus in actuali expeditione positus? »

Quinto: « An idem cum militibus nubere volentibus cum fœminis non militaribus, sed Italis originariis loci, sive diœcesis, in qua reperiuntur? »

Sexto: « An milites acatholici cum acatholicis contrahentes teneantur servare formam præscriptam in Sac. Concilio Trid. »

Septimo: « An eo magis acatholici contrahentes cum catholicis mulieribus militaribus in præsiidiis, castris, et expeditione manentes? »

Octavo: « An Capellani acatholici assistere possint matrimoniis acatholicorum cum acatholicis, et respective catholicis etiam intra fines Italiæ, quatenus negative in omnibus præter 6 et 7 »

Nono: « An, et quid pro sanatione gestorum in præteritum, et faciendorum in futurum super prædictis omnibus pro certa regula Sanctissimo consulendum, et statuendum sit? »

Die 6 Mart. 1694. Sac. Congreg. Conc. respondit ad 1, 2, 3, 4, 5 et 8, *negative*. Ad sextum *affirmative* in locis, ubi publicatum

fuit Concilium juxta decretum Sacræ Congregationis 26 Septembr. 1602, ad tertium dubium approbante S. M. Clemente VIII. Ad septimum *affirmative*, sed ulterius indigere dispensatione, ut prædicta matrimonia licite contrahantur. Ad nonum in præteritum non esse inquietandas conscientias, quoad Sacramentum Pœnitentiæ; quo vero ad matrimonia inita sine speciali facultate Apostolica, vel sine licentia ordinarii loci, vel parochi non servata forma Sac. Conc. Trid. in capit. 1, sess. 24, de *Reformat. matrimon. pro sanatione*, si Sanctissimo Domino Nostro placuerit, renovato tamen consensu, etiam coram confessario approbato, qui teneatur tradere testimonium renovationis d. consensus parochi illius loci, in quo fieri contingat hujusmodi renovatio. Provisio in futurum differatur in prima proxima Congreg. in qua consulendum erit, ac deliberandum. Sub die 20 Martii ejusdem anni super provisione Congregatio dixit Secretario cum Sanctissimo pro tali provisione. et sanatione.

Casalens. Matrimonii.

(11. Dubitans Episcopus Casalens. de potestate Capellani Militum circa assistentiam præstandam matrimoniis contrahendis in eorum regiminibus existentibus in his calamitosis temporibus in ejus diœcesi, dum ad valorem matrimonii aliqui existimant sufficere assistentiam parochi putativi, ex adductis per Barbosam in Sac. Conc. c. 1, sess. 25, de *Reformat. matrim.*, n. 79. Ad tollenda omnia inconvenientia, et pro suæ conscientie serenitate oraculum EE. VV. super infrascripto dubio summopere exposuit.

« An Capellanus alicujus regiminis, vulgo *Monte del Reggimento* censeri valeat proprius parochus militum ejusdem regiminis, ita ut valide assistere possit matrimoniis eorumdem militum? »

Die 28 Junii 1704. Sac. Congr. Conc. *consuit* dandum esse decretum sub die 6 Martii 1694.

Primo: « An Capellani cujusvis exercitus sive regulares, sive sæculares Catholici possint administrare militibus in præsiidiis degentibus Sacramenta Pœnitentiæ, Euchari- stia, et Extremæ Uctionis sine speciali facultate Sedis Apostolicæ; vel licentia, et approbatione ordinarii, in cujus diœcesi extare contigerit? »

Secundo: « An assistere matrimoniis militum cujuscumque nationis degentium in præsiidiis cum militaribus fœminis sine dicta facultate apostolica, et præcedenti probatione status liberi, ejusque recognitione eorum ordinario loci, et licentia parochi, sub cujus parochia maneant? »

Tertio: « An idem cum militibus degentibus in castris, et stationibus hibernis, vel æstivis? »

Quarto: « An idem cum militibus in actuali expeditione positus? »

Quinto: « An itidem cum militibus nubere volentibus cum fœminis non militaribus. »

sed Italis originariis loci, seu diœcesis, in qua reperiuntur? »

Die 28 Jun. 1704. Sac. Cong. Conc. ad primum, secundum, tertium, quartum et quintum, respondit *negative*.

(12. Matrimonia contracta coram Capellanis exercitus a militibus degentibus in castris, et stationibus hibernis, vel æstivis, aut in expeditione etiam cum militaribus fœminis sine licentia ordinarii loci, vel sine speciali facultate Sedis Apostolicæ, nulla sunt, ut dubio proposito respondit Sac. Congreg. Concil. 6 Mart. 1694, et refert Monacell. t. I, tit. 8, formul. 10, n. 13. (13. Matrimonium contractum a viro catholico cum muliere pariter catholica coram ministro acatholico est nullum, quia licet fuerit in initum in terris hæreticorum, adhuc ubi fuit publicatum Concilium Tridentinum, illius forma tradita in c. 1, sess. 24, de *Reform.* ubique servanda est pro validitate, ut pluries declaravit Sac. Congreg. Conc. apud Pignat. t. V, cons. 79, a n. 36, et nuper in Venetiarum, 1 Dec. 1696.

(14. Ad uberiorem notitiam consimilium Capellanorum juvat adducere dubium propositum in Sac. Congreg. Concil., 18 April. 1713. An PP. Capuccini Capellani triremium Summi Pontificis excipere possint sine approbatione Episcopi Viterbiensis confessiones remigum et aliorum in triremibus degentium; sive quando remiges et alii sunt in triremibus, et triemes sunt in portu vel in receptaculo, vulgo *Darsena*; sive quando remiges, alique in triremibus degentes sunt in civitate Centum Cellarum.

Cui dubio responsum fuit per Sacram Congr. « Posse PP. Capuccinos sine approbatione Episcopi Viterbiensis, et cum sola approbatione Eminentissimi urbis Vicarii excipere confessiones remigum et aliorum in triremibus continue degentium, tam in ipsis triremibus, quam in portu et in receptaculo, vulgo *Darsena*, et in Hospitio in *Darsena* existente. Sed non posse eosdem PP. Capuccinos excipere eorumdem confessiones in civitate Centum Cellarum sine approbatione Episcopi Viterbiensis. » Sic refert Cardinalis Petra tom. I Comment. in Constitut. 1 Pauli II, n. 89.

(15. Attendenda sunt indulta apostolica variis Regibus, suis pro Capellanis militaribus concessa, et signanter novissima concessa Regibus Catholico et Sardinia, qua pro regula ab omnibus observanda, hic ad litteram traduntur.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Quoniam in exercitibus charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici multa sæpe contingere possunt, in quibus, pro recta Sacramentorum administratione salubrique directione, et cura animarum illorum, qui in castris degunt et versantur, necnon pro cognoscendis et decidendis inter eos causis et controversiis ad forum ecclesiasticum pertinentibus, opera et industria unius, seu plurium personarum

ecclesiasticarum opus sit; propterea quod non facile ad proprios parochos et locorum ordinarios, aut ad Nos et Sedem apostolicam recursus haberi potest; idcirco Nos supplicationibus ipsius Philippi Regis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinatis, Capellano Majori exercituum hujusmodi ab eod. Philippo Rege pro tempore deputato infra scriptas facultates per se, vel alium, seu alios sacerdotes probos et idoneos per ipsum Capellanum Majorem, prævio diligenti, ac rigoroso examine repertos et approbatos (quatenus jam ab aliquo suo ordinario approbati non essent), et ab eodem Capellano Majori subdelegandos erga milites, aliasque utriusque sexus personas ad dictos exercitus (comprehensis etiam copiis auxiliariis) quomodolibet spectantes tantum exercendas.

I. Videlicet administrandi omnia Ecclesiæ Sacramenta, etiam ea, quæ non nisi per parochialium Ecclesiarum rectores ministrari consueverunt, præter confirmationem et ordinem, reliquasque functiones et munera parochialia obeundi.

II. Absolvendi ab hæresi, apostasia a fide, et schismate intra Italiam quidem, et insulas adjacentes, illos tantum, qui in eis locis, ubi hæresis impune grassatur, nati sint, nec unquam errores judicialiter abjuraverint, vel Sacræ Romanæ Ecclesiæ reconciliati fuerint. Extra Italiam vero, dictasque insulas adjacentes, quoscumque etiam ecclesiasticos, tam sæculares, quam regulares eadem castra sequentes, non tamen eos qui ex illis locis fuerint, in quibus viget officium Inquisitionis adversus hæreticam pravitatem, nisi inibi deliquerint, ubi hæresis impune grassatur, neque etiam illos, qui errores judicialiter abjuraverint, nisi isti nati sint, ubi similiter grassatur hæresis, et post judicialem abjuramentum illuc reversi in hæresim fuerint relapsi, et hos in foro conscientie dumtaxat.

III. Absolvendi quoque a quibusvis excessibus, et delictis quantumcumque gravibus, et enormibus, etiam in casibus Nobis et eidem Sedi Apostolicæ specialiter reservatis, ac etiam contentis in litteris die Cœnæ Domini quotannis legi solitis.

IV. Retinendi extra Italiam solummodo, et insulas adjacentes, et legendi (non tamen aliis similem licentiam concedendi) libros prohibitos hæreticorum, vel infidelium de eorum religione tractantes, et alios quoscumque ad effectum eos impugnandi, et hæreticos, seu infideles in castris forte degentes ad orthodoxam fidem convertendi, exceptis tamen operibus Caroli Molinæi, Nicolai Macchiavelli, et libris de astrologia judiciaria tractantibus, ac ita ut dicti libri prohibiti ex provinciis, in quibus hæresis impune grassatur, minime efferantur.

V. Celebrandi Missam una hora ante auroram, et alia post meridiem, et, si cogat necessitas, etiam extra Ecclesiam in quocumque loco decenti, etiam sub diu, vel sub terra, et gravi omnino urgente necessitate, etiam bis in die (si tamen in priori Missa ablutionem non sumpserit, ac jejunos fue-

rit), necnon super altari portatili, etiam non integro, seu diffracto, aut læso, et sine sanctorum reliquiis, ac demum, si aliter celebrari non possit, et absit periculum sacrilegii, scandali, et irreverentiæ, etiam præsentibus hæreticis, aliisque excommunicatis, dummodo inserviens Missæ non sit hæreticus, vel excommunicatus.

VI. Concedendi primo conversis ab hæresi, vel schismate plenariam, aliis itidem quibuscumque utriusque sexus Christifidelibus ad prædictos exercitus pertinentibus in articulo mortis saltem contritis, si confiteri non poterunt, necnon in Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, Paschatis Resurrectionis, ac Assumptionis beatæ Mariæ Virginis immaculatæ festis diebus, vere pœnitentibus, et confessis, ac sacra communione refectis, similiter plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem.

VII. Singulis autem Dominicis, et aliis festivis diebus de præcepto relaxandi iis, qui ejus concionibus intervenerint, decem annos de injunctis illis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta; easdemque indulgentias sibi lucrandi.

VIII. Singulis secundis feriis cujuslibet hebdomadæ, officio novem lectionem non impeditis, vel eis impeditis die immediate sequenti, celebrandi Missam de Requiem in quocumque altari, etiam portatili (si aliter celebrari non possit), et per ejus applicationem liberandi animam alicujus ex pie defunctis dictorum exercituum secundum celebrantis intentionem a purgatorii pœnis per modum suffragii.

IX. Deferendi, si in locis versentur, ubi ab hæreticis, vel infidelibus periculum subsit sacrilegii, vel irreverentiæ, sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum occulte ad infirmos sine lumine, illudque sine eodem in prædictis casibus retinendi pro iisdem infirmis, in loco tamen apto, atque decenti.

X. Induendi (si quandoque in iis partibus degant, per quas propter hæreticorum, vel infidelium insultus aliter transire, vel in illis morari non possent), vestibus sæcularibus, liceat sacerdotes etiam regulares fuerint.

XI. Benedicendi quæcumque vasa, tabernacula, vestimenta, paramenta et ornamenta ecclesiastica, aliaque ad divinum cultum (pro servitio eorundem exercituum dumtaxat), et necessaria, et pertinentia. Exceptis tamen iis, in quibus sacra unctio adhibenda erit.

XII. Reconciliandi Ecclesias, et capellas, ac cœmeteria, et oratoria quomodolibet polluta in illis partibus, in quibus ipsi exercitus conserant, si ad locorum ordinarios commodus non pateat accessus, aqua tamen prius per aliquem Catholicum antistitem, ut moris est, benedicta; imo etiam, magna urgente necessitate, ut Missæ Dominicis, et aliis festivis diebus celebrari possint, illa etiam a memorato antistite non benedicta.

XIII. Præterea eidem Capellano Majori

per se pariter, vel alium, seu alios ab eo delegandos probos, et idoneos sacerdotes in foro ecclesiastico versatos juxta attestatorem et informationem ab eorum ordinario aliisve personis fide dignis per ipsum Capellanum Majorem desuper exquirendam, omnem, et quamcumque jurisdictionem ecclesiasticam exercendi in eos, qui in exercitiis præfatis pro Sacramentorum administratione, necnon spirituali animarum cura, et directione pro tempore inservient, sive clerici, vel presbyteri sæculares, sive quorumvis, etiam mendicantium ordinum regulares fuerint, perinde ac si quoad clericos sæculares, eorum veri præules, et pastores, quoad regulares vero, illorum superiores generales essent.

XIV. Omnesque causas ecclesiasticas, profanas, civiles, criminales, et mixtas, inter, seu contra prædictas, aliasque personas in exercitiis prædictis commorantes ad forum ecclesiasticum quovis modo pertinentes, etiam summarie, simpliciter, et de plano sine strepitu, et forma judicii, sola facti veritate inspecta, audiendi, ac sine debito terminandi, contra inobedientes quoslibet ad censuras, et pœnas ecclesiasticas, procedendi, aliasque aggravandi, ac etiam sæpius reagrandi, auxiliumque brachii sæcularis invocandi.

XV. Eisdem insuper Christifidelibus in dictis exercitiis degentibus concedendi licentiam ovis, caseo, butyro, et aliis lacticiis, ac etiam carnibus Quadragesimæ, et aliis annis temporibus, et diebus, quibus eorum esus est prohibitus (feria sexta, et Sabbato cujuslibet hebdomadæ, ac tota majori hebdomada quoad carnes exceptis) vescendi.

XVI. Ac demum commutandi, relaxandi, dispensandi, et absolvendi respective, prout, et in quantum Episcopis, locorum ordinariis, juxta sacros canones, et Concilii Tridentini decreta, id facere licet, seu permittitur, quoad vota, juramenta, irregularitates, et censuras ecclesiasticas, nempe excommunicationes, suspensiones et interdicta, necnon quoad omissionem omnium, seu aliquarum ex denunciationibus, quæ matrimoniis personarum ad prædictos exercitus pertinentium, et cum illis commorantium contrahendis præmitti deberent.

XVII. Ad septennium a data præsentium computandum, ac interim ad nostrum, et Sedis Apostolicæ beneplacitum auctoritate apostolica tenore præsentium tribuimus, et impertimur.

XVIII. Volumus autem, ut ii sacerdotes, quos idem Capellanus Major pro Sacramentis etiam parochialibus, militibus, aliisque personis quibuscumque dictorum exercituum ministrandis, ut prædicatur, deputandos duxerit, nullatenus quidem hujusmodi facultatibus uti valeant erga milites prædicatorios, qui continue arcium, seu aliorum locorum custodiæ adscripti sunt, quos eorumdem locorum parochis, et ordinariis in omnibus, et per omnia subesse debere declaramus, sed dumtaxat erga milites, et per-

sonas exercituum prædictorum ad vagas belli operationes destinatos, tum ubi in actuali expeditione reperiuntur, tum etiam in quibuslibet accidentalibus, et temporaneis, sive hibernis, sive æstivis, aut etiam prædialibus stationibus pro tempore detinebuntur; ita tamen ut statim atque iidem sacerdotes, quos Capellanus Major subdelegaverit, ad temporaneas illas stationes pervenerint, litteras testimoniales, tam super eorum Sacerdotio, quam super sua deputazione, ac facultatibus sibi vigore præsentium concessis pro ejusmodi munere exercendo, parochis locorum exhibere debeant, quibus visis hi non impediatur, quominus Missam in suis Ecclesiis celebrare, ac in vim earumdem facultatum Sacramenta etiam parochialia ministrare valeant.

XIX. Quod si ex tempore matrimonium inter personas, quarum altera militaris sit, seu ad dictos exercitus pertineat, ibique occasione stationum præfatarum commoretur, altera vero parochi loci subdita reperiat, contrahi contingat, eo casu nec parochus sine sacerdote hujusmodi, nec vicissim sacerdos sine parochi celebrationi hujusmodi matrimonii assistat, aut benedictionem impertiatur: sed ambo simul atque æqualiter stolæ emolumenta, si quæ licite percipi solent, accipiant, et inter se dividant.

XX. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus, Conciliis editis, generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, necnon ordinum, quorum personæ hujusmodi professæ fuerint, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et litteris apostolicis ordinibus præfatis, vel eorum superioribus, aut singularibus personis quomodolibet concessis, ac approbatis et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, et de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 4 Februarii anno millesimo septingentesimo trigesimo sexto, pontificatus nostri anno sexto.

Pro Domino Cardinali Passioneo
Cajetanus Amatus.

(16. Quod idem fuit iterum ad litteram confirmatum in simili forma brevis a Benedicto XIV die 2 Junii 1744, ut sequitur.

BENEDICTUS PP. XIV,

Ad futuram rei memoriam.

Quoniam in exercitiis Charissimi in Christo filii nostri Caroli Emanuelis Sardinæ Regis illustris multa sæpe contingere possunt, in quibus pro recta Sacramentorum administratione, salubrique directione, et cura animarum illorum, qui in castris degunt, et versantur, necnon pro cogno-

scendis, et decidendis inter eos causis, et controversiis ad forum ecclesiasticum pertinentibus opera, et industria unius, seu plurium personarum ecclesiasticarum opus sit; propterea quod non facile ad proprios parochos, et locorum ordinarios, aut ad Nos, et Sedem Apostolicam recursus haberi potest: idcirco Nos supplicationibus ipsius Caroli Emanuelis Regis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Capellano Majori exercituum hujusmodi ab eodem Carolo Emanuele Rege pro tempore deputato infra-scriptas facultates per se, vel alium, seu alios sacerdotes probos, et idoneos per ipsum Capellanum Majorem prævio diligenti ac riguroso examine repertos, ac approbatos (quatenus jam ab aliquo suo ordinario approbati essent), et ab eodem Capellano Majori subdelegandos erga milites, aliasque utriusque sexus personas ad dictos exercitus (comprehensis etiam copiis auxiliariibus) quomodolibet spectantes tantum exercendas.

I. Videlicet administrandi omnia Ecclesiæ Sacramenta, etiam ea, quæ non nisi per parochialium Ecclesiarum rectores ministrari consueverunt, præter confirmationem, et ordinem, reliquasque functiones, et munera parochialia obeundi.

II. Absolvendi ab hæresi, apostasia a fide, et schismate in ditionibus dicto Carolo Emanueli Regi subjectis, intra Italiam quidem illos tantum qui in eis locis, ubi hæresis impune grassatur, nati sunt, nec unquam errores judicialiter abjuraverint, vel Sacræ Romanæ Ecclesiæ reconciliati fuerint, extra Italiam vero, et ditiones prædictas quoscumque etiam ecclesiasticos tam sæculares, quam regulares eadem castra sequentes, non tamen eos, qui ex illis locis fuerint, in quibus viget officium inquisitionis, adversus hæreticam pravitatem, nisi inibi deliquerint, ubi hæresis impune grassatur, neque etiam illos qui errores judicialiter abjuraverint, nisi isti nati sint, ubi similiter grassatur hæresis, et post judicialem abjuramentum illuc reversi in hæresim fuerint relapsi, et hos in foro conscientie dumtaxat.

III. Absolvendi quoque a quibusvis excessibus, et delictis quantumcumque gravibus, et enormibus, etiam in casibus Nobis, et eidem Sedi Apostolicæ specialiter reservatis, ac etiam contentis in litteris die Cœnæ Domini quotannis legi solitis.

IV. Retinendi in ditionibus prædictis solummodo, et legendi (non tamen aliis similem licentiam concedendi) libros prohibitos hæreticorum, vel infidelium de eorum religione tractantes, et alios quoscumque ad effectum eos impugnandi, et hæreticos, seu infideles in castris forte degentes ad orthodoxam fidem convertendi, exceptis tamen operibus Caroli Molinæi, Nicolai Macchiavelli, et libris de astrologia judiciaria tractantibus, ac ita ut dicti libri prohibiti ex provinciis, in quibus hæreses impune grassantur, minime efferantur.

V. Celebrandi Missam una hora ante auroram, et alia post meridiem, et si cogat